



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 34. Romandiola a Valentini Duce Pontifici reddita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. XXXIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

*Romandiola a Valentini Duce Pontifici
reddita.*

Gravioris tamen moliminis res erat, ut Pontifex in Romandiola auctoritatem suam stabili imperio firmaret; hæc enim gens haud immerito contra Curiam Romanam præoccupata, ejus dominatum ferre recusabat. Equidem Faventiæ Gubernator foedere cum Venetis inito, arcem tradebat, ast urbis cives hisce pactis comprehendi omnino renuebant: unde contra arcis præsidiarios urbis aditum objecto obice obstruebant, atque Astorrem Manfredum Nothum, ac unicum hujus familiæ a Valentini Duce penitus deletæ surculum advocant. Astorres diu Venetorum, qui toto armorum apparatu urbem obsidebant, impetus sustinuit; Pontifex vero Faventiam a Venetis cingi, non sine ingenti animi sui moerore percepit, cum enim haud segniori ac ipsi ambitionis stimulis urgeretur, verebatur, ne Veneti, si urbem occuparent, eam recuperandi spem Sedi Apostolicæ præciderent.